



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. I. An homo bonorum intrinsecorum, quibus constituitur, sit plenus dominus? exinde deciditur, an fas sit se ipsum occidere, mortem desiderare, se ipsum, si reus sit, in mortem judici offerre, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

§. I.

An homo bonorum intrinsecorum, quibus constituitur, sit plenus Dominus? exinde deciditur, an fas sit se ipsum occidere, mortem desiderare, se ipsum, si reus sit in mortem iudici offerre, vitamque quibusvis mediis conservare.

Dico primo homo non habet plenum dominium bonorum, quibus constituitur, ut vitæ, & corporis, sed imperfectum seu usufructum corporis sui. Pars prima habetur Sap. 16. quod DEUS vitæ, & mortis habeat potestatem, & quidem solus, ut exprimitur Deutero 32. Ego sum solus, ego occidam, & ego vivere faciam. Ratio est, quod fundamentum omnis proprietatis sit prius ipsa proprietate, sed vita, & hujus membra sunt fundamenta omnis proprietatis, ergo. Unde castratio causa vocis, &c. probabilius est peccatum mortale, ut docet Lugo contra alios.

Pars secunda de dominio indirecto probatur: quod licet homo non sit directus Dominus, est tamen à DEO constitutus vitæ, & membrorum administrator, ac usufructuarius, ergo habet dominium indirectum, seu utile respectu quarumcumque suarum actionum & ad membrorum usum: unde contrahens matrimonium, aut se ipsum vendens non transfert in alterum aliquod directum dominium, sed eum constituit usufructuarius quoad certas actiones, quas ex iustitia stricta debetur alteri præstare: ut conjux reddere debitum, servus suas operationes impendere ad mentem sui Domini, pariter

quando quis injustè occiditur injuria fit illi non propter jus directum, cum hoc caereat, sed propter jus indirectum.

Ex parte verò prima sequitur I. quod secluso instinctu Divino directum suidium sit semper illicitum, uti & mutilatio, nisi hæc sit necessaria ad conservationem vitæ.

Secundò, quia usufructus nequit licite uti re, nisi salvâ ejus substantiâ, ergo homo utpote solum usufructus vitæ, & membrorum nequit uti vitâ, & membris, nisi salvâ eorum substantiâ.

Contra qualem autem virtutem peccet sui occisor, aut mutilator non convenit inter Doctores, nempe an contra fortitudinem, aut charitatem sui, aut contra jus reipublicæ, cui debetur conservatio sui membri. Verius loquuntur doctores esse formalem injustitiam contra DEUM, quia solus hic est plenus, ac directus Dominus vitæ, & membrorum.

23. Dixi primo secluso instinctu Divino, quia ex directione Spiritûs S. utpote Domini directi vitæ est licita directio sui occisio, sic multæ Virgines cum S. Apollonia laudabiliter se occiderunt.

Dixi secundo directum suidium aut mutilatio, quia multis in casibus licita est sui indirecta occisio, & à fortiori

mutilatio, ubi diligenter Notandum est discrimen inter eripere sibi positivè ac directè vitam vel membrum, & inter conservare, atque tueri vitam, primum est contra præceptum negativum obligans semper pro semper, secundum est duntaxat de præcepto affirmativo, quod non obligat pro semper, sed licitum est in certis circumstantiis aliquid facere, aut omittere cum prævisione eventuræ mortis, eo quod pro tunc naturalis non obligat ad illud faciendum, aut omittendum, ut vita conservetur, morsque sequitur præter intentionem eam non impediens per certa media ob causam justissimam.

Hinc Lugo *Disp. 10. à numero 31.* deducit quod possit, imo teneatur miles non deserere stationem sciens se certo occidendum: reus possit non fugere ex carcere, ex quo deducetur ad mortem, imo quod possit se ex Zelo justitiæ judici offerre, ac prodere: ad servandam vitam Principis, aut Amici potest quis se gladio obicere certo periturus: miles accendere turrim pulverariam hostilem ab illa obruendus cum hostibus: ut incendium effugias, si nulla via evadendi superfit, poteste cum vitæ periculo per fenestram proicere: panem, quem unicum habes, aut tabulam in naufragio alteri cedere in pati, & legitima necessitate: unde à fortiori fas est cum aperto discrimine inferre pestiferis.

Dixi tertio nisi mutilatio sit necessaria ad vitæ conservationem, nam si hæc aliter servari nequeat, obligatur abscissionem pati, quia administrator vitæ debet eam tueri mediis necessariis, ac licitis, quale est, cum præstet perire membrum ut servetur totum, si tamen adeo esset acerbus dolor, ut prudenter excuse-

tur non debet pati (nisi esset persona bono publico multum necessaria) unde virgo admodum pudica non tenetur admittere curationem minus decentem, ita Gormaz. *Hic D. 6. n. 351.*

24. Obiicies primo nisi homo sit Dominus vitæ etiam ex præcepto DEI non posset se occidere, vel si posset etiam ex mandato judicis ad mortem damnatus licitè ageret suicidam se vulnerando, aut venenum bibendo, aut sibi aperiendo venam, aut se in rogam conjiciendo, & nisi hoc liceret, nec carnifex licitè exequeretur sententiam: quod Lugo *hic Disp. 10. n. 12.* dicat disparitatem esse istam, quod carnifex occidat titulo justæ punitionis, secus puræ occisionis, punitio autem sit actio ad alterum, qualis non foret, dum reus se ipsum occideret, proinde esset mera occisio, quæ est actio intrinsece mala contra enim est, quod reus ex mandato judicis se occidens jurisdictione duplex foret persona, proinde esset alter, & alter, ut enim executor judicis ageret personam publicam, seu autoritate rei publicæ, pateret verò ut persona privata: unde concedit Victoria reum posse obligari ad hauriendum venenum; alii cum Tamburino simpliciter asserunt posse reum legitime se directè occidere ex mandato judicis.

Respondeo nego assumptum, homo enim ex mandato divino occidens se, ageret nomine veri Domini, ad quod non requiritur ut sit actio dominii prout procedit ab homine, sicut comburens libros Petri hoc jubente non exerceret actionem dominii, cum possit fieri à Religioso sine Prælati licentia dominii incapace.

Nego autem exinde probati fore licitam sui occisionem ex præcepto judicis

non

non propter rationem allatam à Lugo, sed à Lessio *lib. 2. c. 9. numero 16.* nempe ob specialem, quam à naturali inclinatione homo secum ipso habet conjunctionem, hoc enim impedit, quo minus licite possit præcipi sui occisio, cum nec ullus possit esse justæ mortis executor in Patrem ob reverentiam illi debitam fundatam in conjunctione speciali.

Respublica non est directa Domina vitæ, sed usuaria, ut enim membra corporis se habent ad corpus totum, ita homines sunt membra corporis politici, proinde sicut homo titulo defensionis potest amputare membrum suum, ita DEUS dedit Reipublicæ jus amputandi sua membra titulo solius defensionis, aut punitionis justæ, unde carnifex hoc titulo nomine reipublicæ exequitur sententiam mortis.

25. Pro aliis Nota, quod aliquando mortis desiderium sit licitum, ut patet primo in Martyribus desiderantibus pro Christo mori, qui quandoque possunt petere, ut constituentur coram Tyranno in occasione fidei, imo ut DEUS permittat Tyrannum in eos sævire, videlicet ob majus bonum Religionis, aut ut Tyrannus convertatur, aut placetur, hoc enim non est contra Christi mandatum Matth. 10. *Cum vos persequenter in civitate ista, fugite in aliam;* nam ut Maldonatus exponit, procedit quando fugam postulat Evangelium, secus dum non postulat, in primo casu non fuga est pertinacia, in secundo est pietas, unde si ex non fuga periclitaretur Religio defectu Prædicatoris, hic occultare se debet Lugo à numero 45.

Secundò licet optare sibi mortem ad evitandas ærumnas gravissimi morbi, aut

mortis acerbissimæ ut plures cum Grando tradunt apud Dianam parte 5. tit. 14. Resolut. 92. Contra Navarrum.

Tertiò reus quæsitus à Judice ad pœnam capitalem potest se ipsum offerre, & hortari, ut eam exequatur ob delicta, consulit enim actionem licitam Lugo numero 38.

Ex his non licet inferre, quod etiam licitè valeat se occidere, plura enim & nobis & aliis licitè optamus, quin licitè per nos eadem faciamus, sic nequimus commeritum supplicium reis inferre, etsi licitè optemus, ut à judice inferatur.

Nota secundò, cum simus vitæ æconomi, seu administratores, lege naturali obligamur ad media omnia ordinaria ex natura rei necessaria eam conservandi, secus ad extraordinaria, & summe difficilia per se loquendo, non enim est tanti momenti, ut procuretur tanta diligentia Lugo numero 29. deducens à numero 32. non teneri hominem ad prolongandam vitam frui cibo, aut aere salubriori, abstinere à vino, aut id bibere, non locum mutare, à discretis mortificationibus cessare, etsi prævideatur etiam ad decennium secundum Fagundez vitæ abbreviatio, nec idcirco ex novitiatu egredi, aut illum non ingredi; imo est communis sententia Monialem ad tempus aliquod morbi causa non posse egredi (exceptis tribus casibus Epidemæ, lepræ, & incendii à Pio Quinto expressis) etsi immineat mortis periculum. Nihil tamen ex præfatis adhiberi, aut omitri potest ex directa intentione citius moriendi, cum vitæ abbreviatio etiam per horam directe intenta sit illicita, utpote opposita directo DEI dominio.